

78N2[51]

X 2318112

1716

20

CIPPUS
 MEMORIÆ
 BEATIS MANIBUS
 NEUSSIANIS,

LESSU EX MOERORE LASSO
 POSITUS.



WERNIGERODÆ,

Ex Officina Mich. Ant. Struckii, Typogr. Aul.



Kopiel 78N2[51]

1716



✠ ✠ ✠
Heu ! quos casus enarrat buccina famæ ?

Occidit Aoniæ Stella cohortis , ait,

Scilicet :

Nuntius insperatus triste nobis & insperatum nuntium

in παροῖς annunciat insperatæ mortis

VIRI maximè Reverendi

DOMINI DOCTORIS GEORGII HENRICI NEUSSII,

Theologi, Theosophi, Philologi, Philosophi

Gravissimi, Consummatissimi,

Fautoris, Compatriis & Amici auro contra chari & cari.

Hic enim

labente jam anno , labente jam ætate ,

circa hoc æquinoctium

haud nobis æquâ nocte labitur ,

& dum

ob morum comitatem, honorum gravitatem, doctrinæ puritatem,

vitæ integritatem, donorum suavitatem ,

Principi & Populo ,

imò omnibus & singulis placuisset,

non mirum est , & DEO placuisse,

Alios inter Theologos

micantes velut inter ignes Luna minores emicans,

laborum, honorum, bonorum satur,

d. 30. Septembr. a. c. MDCCXVI.

ex hac vita ærumnosa ad meliorem vitam discedit ;

fatis cedit,

in vita qui nunquam fatis nec prosperis, nec adversis cesit,

sed utrumque, & pace & prece,

& patientiâ & perseverantiâ vicit,

victo-

victoriâ ulteriore, vitâ longiore, gloriâ majore dignissimus,
alios viam ad cœlum docere aptus & solitus,
ex hoc solo ad Polum prait, abit,
& dum non amplius templi solum cupit, cœleste capit.

Atque sic

per varia fata, varia vota,
per varios casus, per tot discrimina rerum
tendimus in cœluum, sedes ubi fata quietas
ostendent tandem.

Idem hoc nuncium

horret Parnassus tristi squalore Cheruscus,
horret amicorum tota caterva gemens,
indulgent lacrymis labentia fræna volutis
agmina, quæ Jovæ splendida sacra colunt.

Et non immerito:

Pan enim velut ille Magnus

non Ethnicorum, sed Christianorum, mortuus!

Terrenturne maris ad littora, hujus mortem annunciante tristi
voce, Nautæ?

quid nos non terreat nuntium de tanti VIRI morte?

quæ huic,

si eruditionis rationem & virtutis honorem habuisset, pepercisset.

si non nôsti Viator? quod omnes ferè nôrunt;

Siste & lege!

quis, qualis, quantus fuerit?

Scilicet Pan, vel Pastor Pastorum facile Princeps,

Principum qui olim gratiâ,

Scholæ Rector, post Inspector,

moxEcclesiæDiaconus, porro Concionator Aulicus, imò Superintendens,

veræ pietatis cultor & cultus divini,

Bonus Exegeticus, melior Homileticus, optimus Mysticus,

nec non insignis Musicus,

verbò omnia,

tandem à Celsissima Stolberg-Wernigerodensi Domo

in patrium dulce revocatus solum,

Patriæ Superintendens, Hagio-Synedrui Consiliarius, Pastorum

Ephorus, Scholarum Antistes vocatur,

jam heus è templo ad amplum evocatur cœlum,

è vano hoc mundo ad mundum & cœleste fanum,

Maritam, Ecclesiam, Scholam

viduatam, orbatam, turbatam,

nobisque dulcem & perpetuam sui memoriam relinquens.

Et

Et postquam
Heus! Heus! NEUS! NEUS!
spirantibus, dum spirabat, nobis daret majorem spem
majorum plurimumque fructuum, & contra Ecclesiae hostes victo riarum,
jam

vertitur in luctus sperati scena triumphi.

Heus! quod in hoc tumulto vota sepulta jacent,
Princeps, & Proceres, Populus lacrymantur ad urnam;
Tantaque Theiologi gloria funus amat?

Age ergo Beatissime NEUSSI!

Dum Patriam linquis, lacrymosaque deseris arva,

Tu Patriae repetis dulce solum Superum.

Non plus mortiferò Lachesis furit atra flagellò,

Invida Tisiphone neque nocere potest.

Gaudia, dulcis amor, fructus stellantis Olympi

Te capiant, dulci dentque quiete frui.

Interim

Bructera dum cervus, dum truttas Ilsa forebit,

Gloria perpetui Nominis esto Tui!


Calamò mæssò atq; extemporanèd

Bigæ Amicorum

posuit

J. G. Grüningius, *Consil. Stoll.*

J. A. Zeitfuchs / *Diac. Stoll.*



CIPPUS
MEMORIÆ
BEATIS MANIBUS
NEUSSIANIS,

LESSU EX MOERORE LASSO
POSITUS.




WERNIGERODÆ,

Ex Officina Mich. Ant. Struckei, Typogr. Aul.



Kopiel 78N2[57]



Farbkarte #13

